

## L I B E R

quare angulus h,b,t.cognitus, & arcus h,t.scitus. Conclusimus itaq; distantiam planetæ secundum cursum medium longitudinis ab auge eccentrici. Est enim locus augis cognitus, quare & medius locus planetæ datus. In sexta huius simile docuimus. Patebit itaq; differentia duorum locorum, si qua sit. Quod si medius motus per tabulas extractus huic differentiae æqualis fuerit, bonas credemus esse tabulas. Si uero non, excessum dividemus in dies omnes, qui inter duas sunt considerationes, & quod exibit, addemus motui diei unius ex tabulis accepto, si addendum fuerit. Aut minuemus, si minuendum, & proueniet motus unius diei correctus, ex quo deniq; nouas tabulas fabricabimus, quemadmodum in cæteris actum est. Similiter poterimus emendare motum medium diuersitatis. Veruntamen cum motus diuersitatis medius à motibus medijs Solis, & alicuius trinū superiorum dependeat, satis erit emendasse medium longitudinis motum.

### P R O P O S I T I O   I X.

Ad tempus statutum medio motui Iouis in longitudine radicem firmare.

¶ Ex præmissa habes medium motum Iouis ad certum tempus. Accipe itaq; ex tabulis iam innovatis medium motum correspondentem differentiatione duorum temporum, illius scilicet ad quod medium præcedentis elicuiti, & alterius cui radicē adaptare instituis. Hunc itaq; motum deme ab eo, quem ex consideratione elicuisti, si ad tempus præteritum radicem cupis, aut adde eidem, si ad tempus futurum, & habebis radicem cupitam. Radicem autem medijs motus diuersitatis dabunt duæ radices, medijs motus Solis scilicet, & medijs motus planetæ, postq; alter ex altero subtrahetur.

### P R O P O S I T I O   X.

In diuersitate motuum Saturni tandem rationabiliter Speculari.

¶ Principio locum augis compreisse studebimus, quoniam præter eum qui ianua cæteris est, sicut necq; in Marte Ioue nihil unq; in Saturno efficiens. Ex tribus itaq; considerationibus, qua in parte zodiaci eius auxiliari, docebimur. Quarum primam Ptolemæus fecit in anno 11. Adriani. Dum enim in duabus noctibus se sequentibus ad Saturnum respiceret, repperit eum in prima nocturna peruenisse ad habitudinem extremitatis noctis. In secunda uero nocte reperit eum transiuisse huiusmodi habitudinem. Trutinando eum elicuit fuisse in huiusmodi habitudine post meridiem septimo die mensis Machuri, sex horis æqualibus, dum locus eius uerus esset in 1.gr. & 13 m Librae, quoniam Sol suo cursu medio erat in 1.gr. 13, m. Arietis. In secunda consideratione, quæ fuit in anno 17. Adriani 4. horis æqualibus transactis à meridie diei 18. mensis Athica, undecimi scilicet, Saturnus erat per oppositum ad locum Solis medium in 9. gra. & 40. m. Sagittarij. In anno autem 20. Adriani, Saturnus fuit in hac habitudine extremitatis noctis in meridie diei 24. mensis Mesræ, ultimi scilicet, & ueris eius locus in 14.gr. 14.m. Capricorni. Tempus itaq; quod à prima habitudine fluxit in secundam, fuit sex anni ægyptij, 70. dies, & 22. horæ æquales. In quo quidem tempore medijs motus Saturni fuit 75. partes siue gr. & 43. m. Tempus uero à secunda habitudine ad tertiam fuit tres anni ægyptij,